Morbio 23 (42)

QVINTVS Diuina Fauente Clementia omanorum Imperator Augustus, ac ermaniæ, Hispaniarum
Vtriusq; Siciliæ, Hierusalem, Insularum Balearium, Fortunatarumq;, ac noui Orbis Indiarum etc. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, & Galliæ Belgicæ Dominus etc. Spectabili nostro et Imperij sacri fideli dilecto Francisco Villæ, Nobili Ferrarien
ac Illustris Ducis Ferrariæ Consanguinei nri Charissimi Aulico et apud nos Oratori, Militi siue Equiti Aurato, & sacri Lateranensis Palatij, Aulæq; nostræ Cæsareæ, et Imperialis Consistorij Comiti, Gratiam nostram Cæsaream, et omne bonum. IMPERATORIA
Maiestas tum veræ laudis splendorem sibi comparat, cum dignis hominibus, virtuteq; præditis, ac peculiari sibi studio addictis, sua præmia confert, eosq; adeo exornat, quo ipsorum virtus tanto autore comprobata, vehementiores indies impetus edat, & inclinati iam
pridem in eam animi, propositis meritorum suorum præmijs, acriori stimulo incitentur. Proinde repetentibus nobis singulares virtutes tuas, animiq; et Ingenij dotes, nec non syncerum erga nos et sacrum Romanum Imperium fidem ac deuotionem, quam aperte cognoui-
mus vbi ad nos per eundem Illustrem Ducem Ferrariæ Consanguineum nrm Charissimum Orator missus fuisti, haud abs re visum est te peculiaris ornamenti titulo, et Cæsareæ nostræ munificentiæ dono decorare. MOTV itaq; proprio, animo deliberato,
ex certa nra scientia, sano quoq; Principum, Comitum, Baronum, Procerum, ac aliorum nrorum et Imperij sacri fidelium dilectorum accedente consilio, et de nræ Cæsareæ potestatis plenitudine, Te prænominatum Franciscum Villæ, sacri Lateranensis Palatij, Aulæq; nostræ
Cæsareæ, et Imperialis Consistorij Comitem fecimus, creauimus, ereximus, & Comitatus Palatini titulo clementer insigniuimus, prout tenore pntium facimus, creamus, erigimus, attollimus, et gratiosius insignimus, atq; aliorum Comitum Palatinorum numero et consortio gra-
tanter aggregamus, et adscribimus. Decernentes, et hoc Imperiali statuentes edicto, quod exnunc inantea omnibus et singulis priuilegijs, gratijs, Juribus, Immunitatibus, honoribus, exemptionibus, et libertatibus vti, frui, et gaudere possis ac debeas, quibus cæteri sacri La-
teranensis Palatij Comites hactenus vsi sunt, seu quomodolibet potiuntur consuetudine vel de Jure. DANTES et concedentes tibi præfato Francisco amplam autoritatem et facultatem, qua possis et valeas per totum Romanum Imperium, et vbiq; terra-
rum facere, et creare Notarios publicos seu Tabelliones, et Judices Ordinarios, ac vniuersis personis, quæ fidedignæ, habiles, & Idoneæ sint, super quo Conscientiam tuam oneramus, Notariatus seu Tabellionatus, et Judicatus Ordinarij officium concedere, et dare, ac
eos, & eorum quemlibet per pennam et calamarium, prout moris est, de prædictis Inuestire. Dummodo tamen ab ipsis Notarijs publicis seu Tabellionibus, & Judicibus Ordinarijs per te creandis, & eorum quolibet, vice, et nomine nostro, ac sacri Romani Imperij, et
pro ipso Romano Imperio debitum fidelitatis recipias corporale, et proprium Juramentum in hunc modum. Videlicet quod erunt nobis et sacro Romano Imperio, et omnibus successoribus nostris Romanorum Imperatoribus, et Regibus legitime intrantibus fideles, Nec vnq; erunt in
consilio, vbi nrm periculum tractetur, Sed bonum et salutem nram defendent, et fideliter promouebunt. Damna nra pro sua possibilitate vetabunt, et auertent. Præterea Instrumenta tam publica q; priuata, vltimas voluntates, quæcunq; Judiciorum acta, codicillos, testamenta, atq;
omnia alia et singula, quæ illis, et cuilibet ipsorum ex debito dictorum Officiorum facienda occurrerint vel scribenda, iuste, pure, fideliter, Omni simulatione, machinatione, falsitate, et dolo remotis, scribent, legent, facient, atq; dictabunt. Non attendendo odium, pecuniam, munera, aut
alias passiones vel fauores. Scripturas vero quas debebunt in publicam formam redigere, in membranis mundis, aut papyris, non tamen chartis abrasis, fideliter secundum terrarum consuetudinem conscribent, legent, facient, atq; dictabunt. Causasq; hospitalium et miserabilium
personarum, Necnon pontes & stratas publicas pro viribus procurabunt. Sententiasq; et dicta Testium, donec publicata fuerint, et approbata, sub secreto fideliter retinebunt. Atq; omnia alia & singula recte, iuste, et pure facient, quæ ad dicta officia quomodolibet perti-
nebunt consuetudine vel de Jure. Quodq; huiói Notarij publici seu Tabelliones, & Judices Ordinarij per te creandi possint, et valeant per totum Romanum Imperium, et vbilibet terrarum facere, scribere, & publicare contractus, & Instrumenta, quæcunq; Judiciorum acta,
vltimas voluntates, Decreta, et autoritates interponere in quibuscunq; contractibus illa vel illas, ac omnia alia et singula facere, publicare, et exercere, quæ ad dictum officium publici Notarij seu Tabellionis, & Judicis ordinarij pertinere, et spectare noscuntur. INSVPER
tibi præfato Francisco Villæ concedimus, et elargimur, quod possis et valeas Naturales, Bastardos, Spurios, Manseres, Nothos, Incestuosos copulatiue vel disiunctiue, & quoscunq; alios ex illicito et dannato coitu procreatos, viuentibus vel etiam mortuis eorum parentibus,
Legitimare, Illustrium tamen Principum, Comitum, et Baronum filijs duntaxat exceptis, & eos ad omnia et singula Jura legitima restituere, et reducere, omnemq; geniture maculam penitus abolere, Ipsos restituendo, et habilitando ad omnia et singula Jura successionum et hæredita-
tum bonorum paternorum et maternorum, feudalium et emphyteoticorum, etiam ab intestato cognatorum, et agnatorum, et ad honores, dignitates, et quoscunq; alios actus legitimos, ac si essent de legitimo matrimonio procreati, obiectione prolis illicitæ penitus quiescente. Et
quod ipsorum legitimatio vt supra facta, pro legitime facta maxime teneatur et habeatur, ac si foret cum omnibus solemnitatibus Juris, quarum defectus specialiter autoritate Imperiali suppleri volumus & intendimus. Dummodo tamen legitimationes huiusmodi per
te fiendæ non præiudicent filijs & hæredibus legitimis & naturalibus. Sintq; ipsi per te legitimandi de familia, agnatione, et casata parentum suorum, ac Arma & Insignia eorum portare et deferre possint, et valeant: Efficianturq; Nobiles si parentes eorum
Nobiles fuerint, possintq; ac debeant omnibus actibus publicis & priuatis, officijs, Juribus, honoribus, & dignitatibus quibuscunq; vti, frui, et gaudere, quibus veri legitimi consuetudine vel de Jure gaudent, vtuntur, & potiuntur. Non obstantibus quibuscunq; legibus
decretis, statutis, consuetudinibus, ac alijs quibuscunq; in contrarium facientibus, Quibus omnibus & singulis, Motu, scientia, autoritate, & potestate, quibus supra, inquantum huic nostro Indulto, et concessioni contrauenirent, vel quouis modo contrauenire possent,
pro hac vice derogamus, & derogatum esse volumus per præsentes. SIMILITER eadem autoritate Cæsarea tibi damus & impartimur plenam facultatem, et potestatem, qua possis & valeas cum omnibus et singulis Infamibus, quacunq; noten-
tur Infamia, dispensare, & famam eis realiter & cum effectu redintegrare, omnemq; ab eis tollere, & abstergere notæ & Infamiæ maculam, ac eos ad omnes honores, gradus, officia, & dignitates quascunq; reddere habiles & Idoneos, Nec non filios ADOPTA-
RE & ARROGARE, et eos Adoptiuos & Arrogatos facere, constituere, & ordinare. Insuper filios legitimos & legitimandos, adoptiuosq; EMANCIPARE, & Adoptionibus, Arrogationibus, & Emancipationibus quibus-
cunq; omnium et singulorum etiam Infantium et adolescentium consentire. Et VENIAM ætatis supplicantibus concedere. Autoritatem et decretum in omnibus Interponere. SERVOS etiam manumittere, manumissionibus quibuscunq; cum vin-
dicta vel sine. Et Minorum alienationibus, ac alimentorum transactionibus Autoritatem et Decretum Interponere. Possisq; et valeas MINORES, Ecclesias & Communitates læsas, altera parte ad id prius vocata, in integrum restituere, & integram re-
stitutionem eis vel alteri ipsorum concedere, Juris tamen semper ordine seruato. Volentes quæcunq; et singula in præmissis exnunc prout extunc & econuerso, rata, firma, et perpetua esse, & teneri, Omni et quacunq; exceptione remota. QVO
vero te prænominatum Franciscum Villæ vberiori gratia prosequamur, Motu, scientia, animo, autoritate & potestate quibus supra, te Militem & Equitem Auratum fecimus, constituimus, et creauimus, & Militari dignitate, Militarisq; cinguli decore insigni-
uimus, & decorauimus, prout tenore præsentium facimus, constituimus, creamus, Insignimus & decoramus, omniaq; ad hunc ordinem et dignitatem Equestrem pertinentia ornamenta liberaliter concedimus, et elargimur, accingimusq; te gladio fortitudinis, & baltheo
Militiæ, quam Auratam vocant. Decernentes, & hoc Cæsareo statuentes edicto, vt posthac vbiq; locorum, & terrarum, in omnibus & singulis exercitijs, actibus, & studijs, honoribus, officijs, Juribus, consuetudinibus, Insignibus, priuilegijs, prærogatiuis, gratijs, et liber-
tatibus tam realibus, q; personalibus, siue mixtis, gaudeas, & fruaris, quibus cæteri Milites, siue Equites Aurati a nobis et sacro Romano Imperio huiói ornamentis insigniti gaudent, et fruuntur quomodolibet consuetudine vel de Jure, absq; alicuius Impedimento, et contra-
dictione. MANDANTES vniuersis et singulis Principibus tam Ecclesiasticis q; Secularibus Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, Militibus, Capitaneis, Vicedominis, Præfectis, Potestatibus, Gubernatoribus, Procuratoribus, Officialibus,
Quæstoribus, Magistratibus, Consulibus, Ciuibus, Communitatibus, et omnibus alijs nris, et Imperij sacri subditis, et fidelibus dilectis cuiuscunq; status, gradus, præeminentiæ, dignitatis, ordinis, & conditionis fuerint, vt te præfatum Franciscum Villæ hac Equestri dignitate,
& ordine, ac notis ad eam spectantibus prærogatiuis & libertatibus vti, frui, et gaudere permittant. NVLLI ergo omnino hominum liceat hanc nostræ creationis, erectionis, concessionis, decreti, derogationis, voluntatis, & gratiæ paginam infringere, aut ei quouis
ausu temerario contraire. Si quis autem id attentare præsumpserit, nostram & Imperij sacri Indignationem grauissimam, ac pœnam triginta Marcharum auri puri Fisco seu Ærario nostro Imperiali, totidem ... parti læsæ applicandam, toties quoties contrafactum fue-
rit, se nouerit Irremissibiliter Incursurum. HARVM testimonio literarum manu nostra subscriptarum, & sigilli nostri Cæsarei appensione munitarum. Dat. in Oppido nostro Bruxellarum, Die Decimaquarta Mensis January, Anno Domini Millesimo
Quingentesimo Trigesimo secundo, Imperij nostri Duodecimo, & Regnorum nostrorum Decimosexto.

Carolus

Palatinatus in forma & Militia pro Francisco Ville Ill. Ducis Ferrariæ Oratore

175

Taxa floreni non amplius viginti quia pro oratore Illustrissimi ducis Ferrarie

12

147

Rta Obernburger

20/ 1532. 14. Januar

Kaiser Karl V an Schreiben des Franciscus Villae, Gesandten des Herzogthums Ferrara

~~30/2~~

Morbio 29 (42)

Morbio 29 (42)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1877955922-18/fragment/page=0002

Morbio 23 (42)

QVINTVS Diuina Fauente Clementia omanorum Imperator Augustus, ac ermaniæ, Hispaniarum
Vtriusq; Siciliæ, Hierusalem, Insularum Balearum, Fortunatarumq;, ac noui Orbis Indiarum etc. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, & Galliæ Belgicæ Dominus etc. Spectabili nostro et Imperij sacri fideli dilecto Francisco Villæ, Nobili Ferrarien.
ac Illustris Ducis Ferrariæ Consanguinei nri Charissimi Aulico, et apud nos Oratori, Militi siue Equiti Aurato, & sacri Lateranensis Palatij, Aulæq; nostræ Cæsareæ, et Imperialis Consistorij Comiti, Gratiam nostram Cæsaream, et omne bonum. IMPERATORIA
Maiestas tum veræ laudis splendorem sibi comparat, quum dignis hominibus, virtuteq; preditis, ac peculiari sibi studio addictis, sua præmia confert, eosq; adeo exornat, quo ipsorum virtus tanto autore comprobata, vehementiores indies impetus edat, & inclinati iam
pridem in eam animi, propositis meritorum suorum præmijs, acriori stimulo incitentur. Proinde repetentibus nobis singulares virtutes tuas, animiq; et Ingenij dotes, nec non Synceram erga nos et sacrum Romanum Imperium fidem ac deuotionem, quam aperte cognoui-
mus vbi ad nos per eundem Illustrem Ducem Ferrariæ Consanguineum nrm Charissimum Orator missus fuisti, haud abs re visum est te peculiaris ornamenti titulo, et Cæsareæ nostræ munificentiæ dono decorare. MOTV itaq; proprio, animo deliberato,
ex certa nra scientia, sano quoq; Principum, Comitum, Baronum, Procerum, ac aliorum nrorum et Imperij sacri fidelium dilectorum accedente consilio, et de nræ Cæsareæ potestatis plenitudine; Te prænominatum Franciscum Villæ, sacri Lateranensis Palatij, Aulæq; nostræ
Cæsareæ, et Imperialis Consistorij Comitem fecimus, creauimus, ereximus, & Comitatus Palatini titulo clementer insigniuimus, prout tenore pntium facimus, creamus, erigimus, attollimus, et gratiosius insignimus, atq; aliorum Comitum Palatinorum numero et consortio gra-
tanter aggregamus, et adscribimus. Decernentes, et hoc Imperiali statuentes edicto, quod exnunc inantea omnibus et singulis priuilegijs, gratijs, Iuribus, Immunitatibus, honoribus, exemptionibus, et libertatibus vti, frui, et gaudere possis ac debeas, quibus cæteri sacri La-
teranensis Palatij Comites hactenus vsi sunt, seu quomodolibet potiuntur consuetudine vel de Iure. DANTES et concedentes tibi præfato Francisco amplam autoritatem et facultatem, qua possis et valeas per totum Romanum Imperium, et vbiq; terra-
rum facere, et creare Notarios publicos seu Tabelliones, et Iudices Ordinarios, ac vniuersis personis, quæ fidedignæ, habiles, & Idoneæ sint, super quo Conscientiam tuam oneramus, Notariatus seu Tabellionatus, et Iudicatus Ordinarij officium concedere, et dare, ac
eos & eorum quemlibet per pennam et calamarium, prout moris est, de prædictis Inuestire. Dummodo tamen ab ipsis Notarijs publicis seu Tabellionibus, & Iudicibus Ordinarijs per te creandis, & eorum quolibet, vice, et nomine nostro, ac sacri Romani Imperij, et
pro ipso Romano Imperio debitum fidelitatis recipias corporale, et proprium Iuramentum in hunc modum. Videlicet quod erunt nobis et sacro Romano Imperio, et omnibus successoribus nostris Romanorum Imperatoribus, et Regibus legitime intrantibus fideles. Nec vnq; erunt in
consilio, vbi nrm periculum tractetur, Sed bonum et salutem nram defendent, et fideliter promouebunt. Damna nra pro sua possibilitate vetabunt, et auertent. Præterea Instrumenta tam publica q; priuata, vltimas voluntates, quęcunq; Iudiciorum acta, codicillos, testamenta, atq;
omnia alia et singula, quæ illis, et cuilibet ipsorum ex debito dictorum Officiorum facienda occurrerint vel scribenda, iuste, pure, fideliter, Omni simulatione, machinatione, falsitate, et dolo remotis, scribent, legent, facient, atq; dictabunt. Non attendendo odium, pecuniam, munera, aut
alias passiones vel fauores. Scripturas vero quas debebunt in publicam formam redigere, in membranis mundis, aut papyris, non tamen chartis abrasis, fideliter secundum terrarum consuetudinem conscribent, legent, facient, atq; dictabunt. Causasq; hospitalium et miserabilium
personarum, Necnon pontes & stratas publicas pro viribus procurabunt. Sententiasq; et dicta Testium, donec publicata fuerint, et approbata, sub secreto fideliter retinebunt. Atq; omnia alia & singula recte, iuste, et pure facient, quæ ad dicta officia quomodolibet perti-
nebunt consuetudine vel de Iure. Quodq; hmoi Notarij publici seu Tabelliones, & Iudices Ordinarij per te creandi possint, et valeant per totum Romanum Imperium, et vbilibet terrarum facere, scribere, & publicare contractus, & Instrumenta, quæcunq; Iudiciorum acta,
vltimas voluntates, Decreta, et autoritates interponere in quibuscunq; contractibus illa vel illas, ac omnia alia et singula facere, publicare, et exercere, quæ ad dictum officium publici Notarij seu Tabellionis, et Iudicis ordinarij pertinere, et spectare noscuntur. INSVPER
tibi præfato Francisco Villæ concedimus, et elargimur, quod possis et valeas Naturales Bastardos, Spurios, Manseres, Nothos, Incestuosos copulatiue vel disiunctiue, & quoscunq; alios ex illicito et damnato coitu procreatos, viuentibus vel etiam mortuis eorum parentibus,
Legitimare, Illustrium tamen Principum, Comitum, et Baronum filijs duntaxat exceptis, & eos ad omnia et singula Iura legitima restituere, et reducere, omnemq; geniture maculam penitus abolere, Ipsos restituendo, et habilitando ad omnia et singula Iura successionum et hæredita-
tum bonorum paternorum et maternorum, feudalium et emphyteoticorum, etiam ab intestato cognatorum et agnatorum, et ad honores, dignitates, et quoscunq; alios actus legitimos, ac si essent de legitimo matrimonio procreati, obiectione prolis illicitæ penitus quiescente. Et
quod ipsorum legitimatio vt supra facta, pro legitime facta maxime teneatur et habeatur, acsi foret cum omnibus solemnitatibus Iuris, quarum defectus specialiter autoritate Imperiali suppleri volumus & intendimus. Dummodo tamen legitimationes huiusmodi per
te fiendæ non præiudicent filijs & hæredibus legitimis & naturalibus. Sintq; ipsi per te legitimandi de familia, agnatione, et casata parentum suorum, ac Arma & Insignia eorum portare et deferre possint, et valeant: Efficianturq; Nobiles si parentes eorum
Nobiles fuerint, sintq; ac debeant omnibus actibus publicis, & priuatis, officijs, Iuribus, honoribus, & dignitatibus quibuscunq; vti, frui, et gaudere, quibus veri legitimi consuetudine vel de Iure gaudent, vtuntur, & potiuntur. Non obstantibus quibuscunq; legibus
decretis, statutis, consuetudinibus, ac alijs quibuscunq; in contrarium facientibus, Quibus omnibus et singulis, Motu, scientia, autoritate, et potestate, quibus supra, inquantum huic nostro Indulto, et concessioni contrauenirent, vel quouis modo contrauenire possent,
pro hac vice derogamus, & derogatum esse volumus per præsentes. SIMILITER eadem autoritate Cæsarea tibi damus & impartimur plenam facultatem, et potestatem, qua possis & valeas cum omnibus et singulis Infamibus, quacunq; noten-
tur Infamia, dispensare, et famam eis realiter & cum effectu redintegrare, omnemq; ab eis tollere, & abstergere notæ & Infamiæ maculam, ac eos ad omnes honores, gradus, officia, & dignitates quascunq; reddere habiles & Idoneos. Nec non filios ADOPTA-
RE & ARROGARE, et eos Adoptiuos & Arrogatos facere, constituere, et ordinare. Insuper filios legitimos & legitimandos, adoptiuosq; EMANCIPARE, & Adoptionibus, Arrogationibus, & Emancipationibus quibus-
cunq; omnium et singulorum etiam Infantium et adolescentium consentire. Et VENIAM ætatis supplicantibus concedere. Autoritatem et decretum in omnibus Interponere. SERVOS etiam manumittere, manumissionibus quibuscunq; cum vin-
dicta vel sine. Et Minorum alienationibus, ac alimentorum transactionibus Autoritatem et Decretum Interponere. Possisq; et valeas MINORES, Ecclesias & Communitates læsas, altera parte ad id prius vocata, in integrum restituere, & integram re-
stitutionem eis vel alteri ipsorum concedere, Iuris tamen semper ordine seruato. Volentes quæcunq; et singula in præmissis exnunc prout extunc & econuerso, rata, firma, et perpetua esse, & teneri, Omni et quacunq; exceptione remota. QVO
vero te prænominatum Franciscum Villæ vberiori gratia prosequamur, Motu, scientia, animo, autoritate & potestate quibus supra, te Militem & Equitem Auratum fecimus, constituimus, et creauimus, & Militari dignitate, Militarisq; cinguli decore insigni-
uimus, & decorauimus, prout tenore præsentium facimus, constituimus, creamus, Insignimus et decoramus, omniaq; ad hunc ordinem et dignitatem Equestrem pertinentia ornamenta liberaliter concedimus, et elargimur, accingimusq; te gladio fortitudinis, & baltheo
Militiæ, quam Auratam vocant. Decernentes, & hoc Cæsareo statuentes edicto vt posthac vbiq; locorum, & terrarum, in omnibus & singulis exercitijs, actibus, & studijs, honoribus, officijs, Iuribus, consuetudinibus, Insignibus, priuilegijs, prærogatiuis, gratijs, et liber-
tatibus tam realibus, q; personalibus, siue mixtis, gaudeas, & fruaris, quibus cæteri Milites, siue Equites Aurati à nobis et sacro Romano Imperio hmoi ornamentis insigniti gaudent, et fruuntur quomodolibet consuetudine vel de Iure: absq; alicuius Impedimento, et contra-
dictione. MANDANTES vniuersis et singulis Principibus tam Ecclesiasticis q; Secularibus Ducibus Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, Militibus, Capitaneis, Vicedominis, Præfectis, Potestatibus, Gubernatoribus, Procuratoribus, Officialibus,
Quæstoribus, Magistratibus, Consulibus, Ciuibus, Communitatibus, et omnibus alijs nris, et Imperij sacri subditis, et fidelibus dilectis cuiuscunq; status, gradus, præeminentiæ, dignitatis, ordinis & conditionis fuerint, vt te præfatum Franciscum Villæ hac Equestri dignitate,
& ordine, ac notis ad eam spectantibus prærogatiuis & libertatibus vti, frui, et gaudere permittant. NVLLI ergo omnino hominum liceat hanc nostræ creationis, erectionis, concessionis, decreti, derogationis, voluntatis, & gratiæ paginam infringere, aut ei quouis
ausu temerario contraire. Si quis autem id attentare præsumpserit, nostram & Imperij sacri Indignationem grauissimam, ac poenam triginta Marcharum auri puri Fisco seu ærario nostro Imperiali, totidemq; parti læsæ applicandam, toties quoties contrafactum fue-
rit, se nouerit Irremissibiliter Incursurum. HARVM testimonio literarum manu nostra subscriptarum, & sigilli nostri Cæsarei appensione munitarum. Datt in Oppido nostro Bruxellarum, Die Decimaquarta Mensis Ianuarij, Anno Domini Millesimo
Quingentesimo Trigesimo secundo. Imperij nostri ...

Ad mandatu Cæs.[ae] & Cath.[cae]
M.[tis] pp.[ri]

Al. Valdesius

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1877955922-18/fragment/page=0003